



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quis dicatur Judex competens, & quod forum comptetens?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Per absolutionem ab observatione iudicii perit instantia, si in progressu litis appareat, intentionem ac petitionem Actoris in libello ineptè propositam fuisse, quo in casu absolvitur reus ab instantia hujus Iudicii, reservato tamen Actori jure iterum agendi, & rectius libelli formandi, prout habetur in *c. Examinata 15. h. tit.* ut reo provideatur, ne respondere debeat ad ineptè petita, & tamen etiam Actor non multum patiat, ob ineptè formatum libellum, sed rebus suis, melius hunc formando, consulere possit: & hinc si in principio statim, antelitem contestatam, libelli ineptitudo appareat, statim libellus talis à iudice ex offi-

cio rejici debet, & lis non contestari ante libellum melius formatum, nisi ex aliis circumstantiis & conjecturis satis appareat intentio, & petitio Actoris, quæ etiam non nominatà actione ex æquitate observari debet. Sunt insuper alia, quæ faciunt iudicium omnino nullum, in competentia scilicet Iudicis, Persona Actoris, aut Rei, quæ in iudicio agere, aut conveniri non possunt; Res ipsæ, quæ non possunt coram hoc Iudice tractari, defectus Citationis; defectus & ommissio substantialium solemnitatum; ordo juris non servatus, qui ad substantiam iudicii pertinetur, de quibus tamen alibi.

TITULUS II.

DE FORO COMPETENTE.

SECTIO I.

De foro competente in genere, & variis modis, quibus constituitur forum competentis.

§. I.

Quis dicatur Iudex competentis, & quod forum competentis?

Forum competentis aliud non est, quam tribunal Iudicis, cujus jurisdictioni in tali causa reus subicitur, sive ubi res ab Actore conveniri potest, ac debet, juxta illud, quod ordinariè forum rei actor sequi debeat, & hinc Iudex competentis dicitur ille, cujus jurisdictioni subicitur Reus, sive coram quo actio &

lis proponi, institui, ac finire potest. Est autem Iudex competentis alius simpliciter competentis, quem partes litigantes adire possunt, & per se debent, tanquam ordinatum suum Iudicem. Alius per se quidem incompetentis est respectu partium litigantium, cujus tamen jurisdictionem partes in se prorogare possunt. Alius denique est simpliciter respectu harum partium incompetentis, qui nec ordinariam in partes litigantes jurisdictionem habet, nec per partium consensum jurisdictione ejus in has partes prorogari potest; cujus sententia ipso jure est irrita, & contra hujus sententiæ nullitatem semper excipere possunt partes, ita ut nunquam in rem judicatam transeat, si certò constet de Iudicis absoluti incompetentis.

§. II.